

quam regebat, advolavit, & delusis Ludovici Germaniæ Regis fratris sui filiis, quos Pater capessendi Imperii cupidus miserat, ne Carolus Calvus Imperio potiretur, a Joanne VIII. Pontifice Maximo Imperii coronam accepit anno DCCCLXXV. Porro, Carolus II. Imperator cognomento Calvus Princeps fuit versipellis, superbus, ambitiosus, in bellis timidus ac ignavus. Incuriones & deprædationes, quibus Normanni Gallias vexabant, cum armis impedire haud posset, tributis penititione cohibere coactus est. Regnum nepotibus suis Carolomanno, Ludovico, & Carolo Crasso, Ludovici Germaniæ Regis filiis eripere molitus est. At ipsi collecto exercitu illum ad Andernacum vicerunt. Fugiens autem Carolus Calvus Imperator febre correptus, ut ait Annalista Bertinianus, pulverem bibit, quem sibi nimium dilectus ac credulus medicus Judæus nomine Sedecias transmisit, ut ea potione a febre liberaretur, insanabili veneno hausto inter manus portantium, transito monte Ciniso, perveniens ad locum, qui Brios dicitur, undecimo die post venenum haustum, in vilissimo tugurio mortuus est 11. Nonas Octobris anni DCCCLXXVI. Imperii 11. Ludovicus ejus filius, Balbus ab impedita lingua nuncupatus, ei in Gallicum Regnum successit, sed non in Imperium, sicut luculenter probat Sirmondus in Notis ad Concilium Trecentense II. Explodi ergo debet vulgaris error quorundam, qui Ludovicum Balbum Imperatoribus accensent, cum tamen certum sit, eum a Joanne VIII. Pontifice Maximo accepisse quidem Coronam Regiam, sed non Imperium. Mortuus est Ludovicus Balbus Galliarum Rex anno DCCCLXXIX. ac tres reliquit liberos, scilicet Ludovicum, Carlomannum, quos ex Asgarda priore conjugæ suscepit, & Carolum dictum Simplicem ex Adelaide altera uxore genitum, quem moriens in cunis reliquit. Ludovicus primogenitus filius Ludovici Balbi, qui in Regno Gallico successit patri suo an. 879. appellatur in serie Galliarum Regum Ludovicus III. cui an. 882. vita functo successit in Regno Gallico Carlomannus ejus frater, qui Regnum gubernavit usque ad an. 884. quo anno, ut ait Continuator Lambecianus, in quadam venatione ictibus cujusdam Apri fertur occisus; re autem vera a suo satellite in eadem venatione non sponte vulneratus occubuit. Mortuo Carlomanno Galliarum Rege ad Thronum Francicum admotus non est Carolus dictus simplex Ludovici III. & Carlomanni frater, eo quod annos tantum septem cum natus esset, ad tuendum a frequentibus Normannorum incurSIONIBUS Galliarum Regnum conferre nihil poterat. A spe tamen & jure regnandi non omnino exclusus est, sed Hugonis Abbatis fidei curæque concreditus est. Franci itaque post obitum Carlomanni Galliarum Regis evocarunt ad Galliarum Regnum gubernandum Carolum a corporis habitudine dictum Crassum filium Ludovici Germaniæ Regis, & Imperatorum Lotharii, & Caroli Calvi nepotem, qui jam anno DCCCLXXX. a Joanne VIII. Pontifice Maximo Romæ Imperator fuerat inauguratus. At Carolus

Crassus, adversus Normannos Gallias infestante re infeliciter gesta, corpore & animo male affectus adeo ægrotare cœpit, ut, volens nolens, Imperio simul, & Regno Gallico se abdicare compulsus fuerit anno DCCCLXXXVII. eoque, ut est rerum humanarum vicissitudo, calamitatis incidit, ut ab Arnulpho Carlomanni Bavariæ quondam Ducis filio notho, & a Proceribus Germaniæ Rege electo victum precario querere cogeretur. Mortuus est Carolus Crassus anno sequenti, seu DCCCLXXXVIII. Sunt quidam Historici, qui putant, Arnulphum, post abdicationem Caroli Crassi, Imperatorem fuisse. Sed Arnulphus jure dici haud potuit Imperator, nisi postquam a Formoso Pontifice Romano coronatus est, & Augustus declaratus, quod solum contigit anno DCCXCVIII. Antequam autem Arnulphus a Formoso Papa Augustus renunciaretur, Guido, seu Wido Spoleti Dux a Pontifice Formoso Imperii Corona redimitus fuit anno DCCXCI. Ab hoc Guidone Berengarius Foro-Julienis Dux Imperii æmulus Bello victus ad Arnulphum Germaniæ Regem confugit, eumque Italiam invadendi spe eo facile pellexit. Interim Guido Imperatoris nomine Italia potitus obiit anno DCCXCIV. & Lambertus ejus filius Imperii Coronam adeptus est, qua tamen ab Arnulpho Germaniæ Rege anno 896. spoliatus est, vixit tamen usque ad annum DCCXCVIII. quo ab Ugone filio Manfredi comitis Mediolanensis fuit occisus. Arnulphus vero Imperium rexit ad annum DCCXCVI. quo a Formoso Papa fuit coronatus Imperator, usque ad an. DCCXCVIII. quo e vivis excessit, & filium puerulum septennem, dictum Ludovicum reliquit, qui patri in Regno Germaniæ successit, sed non in Imperio, sicut opportunius ostendam in Colloquio primo in Historiam decimi Ecclesiæ sæculi, ubi texam feriem Imperatorum, qui decimo sæculo summa rerum in Occidente potiti sunt.

„ (a) Placet hic non reticere aliquid, quod „ mihi Vaticanos Codices evolventi occurrit. „ In hoc Aquisgranensi Concilio lata sententia „ est pro dissolutione conjugii Lotharii inter & „ Theutbergam; recitatur in editis Labbei sententia „ Episcoporum pro ea dissolutione; sed scripta „ duorum illorum Episcoporum, quibus a Concilio „ injunctum est, ut rem totam discuterent, „ & seorsum ambo mentem suam de scripto „ proderent, nequaquam recitantur. Revolvens „ igitur in eadem Bibliotheca Codicem 576. Palatinum „ incidi in Concilium hoc, in quo præter edita „ Epistolam reperi sic inscriptam: Dominus „ gratia Dei beatissimo & dignitate Pontificali „ reverentissimo A. præfati dignissimo, suis in „ Christo filius &c. A. orat salutem &c. Hanc „ Epistolam ad Adventum Metensem Episcopum, „ præcipuum Lotharii in ea causa fau- „ rem, scriptam prior ejus nominis litera „ indicat; a quo vero data sit ignoro. Porro „ quicunque tandem ille fuerit, probare nititur „ jure „ divortii excludi a toro potuisse Theutbergam „ ream incesti, sive crimen illud commissum „ fuerit ante, sive post conjugium; eaque reje- „ „ sta

„ sta integrum Lothario mansisse Valdradam as- „ sumere in conjugium. Scriptum hoc in Vati- „ cano Codice sine caret, & avulsis hinc inde „ solis luxatum est.

„ Demum ex Hincmaro notat Pagius Synodus „ in causa Theutbergæ tres Aquisgrani convenisse: „ semel anno 860. Januarii mense, in qua „ canonica monitione Lothario indicitur, ut a „ Theutberga adultera segreget sese: iterum vero „ ibidem convenientes Episcopi Theutbergam „ canonicæ penitentiae submitunt. Tertia tan- „ dem Synodus illa est, cujus hic Gravesonius „ meminit.

„ D. Carolum Crassum Regno Galliarum fuisse „ abdicatum, jam accurate observasti; at nec- „ dum indicasti eum, qui post abdicationem & „ mortem Caroli Crassi, in Gallicum Regnum ei „ successit.

„ M. Franci, amoto Carolo Crasso, eoque mor- „ tuo anno DCCCLXXXVIII. pari consensu & vo- „ luntate, annuente etiam Arnulpho Germaniæ Re- „ ge, donec Carolus Simplex filius Ludovici Balbi „ adolesceret, Galliarum Regem crearent Odonem „ comitem Parisiensem, Roberti Andegavorum co- „ mitis filium, virum strenuum, cui præ ceteris „ formæ pulchritudo, & virium sapientiaque ma- „ gnitudo inerat. Qui Rempublicam viriliter rexit, „ & contra assiduas deprædationes Normannorum in- „ defessus propugnator extitit, inquit Annalista Me- „ tentis. Unctus fuit Odo a Walterio Archiepisco- „ po Senonensi anno 888. Sunt nonnulli Historici, „ qui affirmant, Odonem sibi nomen Regis tribuisse, „ non quod fuisset revera coronatus Galliarum „ Rex, sed quia dumtaxat tutor erat Caroli Sim- „ plicis, qui, licet verus ac legitimus esset Gallia- „ rum Rex, Regno tamen administrando, utpote „ puerulus, impar erat. At, mea quidem sen- „ tentia, longe probabilius est, Odonem Galliarum „ Regem a Francis, nulla tunc Caroli Simplicis „ habita ratione, creatum, sibi Regnum vindicasse. „ Quod cum multi Francorum Proceres agre „ ferrent, Carolum Simplicem ex Anglia, quo fuerat „ a matre abductus, revocarunt, ad Regium „ culmen sublimarunt, & a Fulcone Remensi Ar- „ chiepiscopo inaugurari curarunt ann. 893. Suam „ tamen dignitatem Regiam strenue in Galliis tui- „ tus est Odo, ut constat ex Bellis, quæ Odonem „ inter, & Carolum Simplicem postea exorta sunt, „ & quæ manifestissime evincunt, Odonem non tu- „ torem Caroli Simplicis, sed tanquam legitimum „ & proprietarium Galliarum Regem fuisse coro- „ natum. Odo Galliarum Rex die III. mensis Ja- „ nuarii anno DCCXCVIII. diem extremum clausit, „ eoque e vivis exemplo, omnes Galliarum „ Regni Proceres Carolum Simplicem Regem agno- „ verunt. Sed de Carolo Simplicis, & de aliis, „ qui decimo Ecclesiæ sæculo Galliarum „ Regnum administrarunt, sermonem instituimus „ in Colloquio primo in Historiam decimi sæcu- „ li.

„ D. Quo loco in Germania, Gallia, & Italia „ res Ecclesiæ nono sæculo fuerint, hæcenus dilu- „ side exposuisti. Sed necdum Ecclesiæ statum „ sub Regibus, qui eodem sæculo Hispaniæ &

„ Angliæ Regnis præfuerunt, exhibuisti, quem ta- „ men ad pleniorum Historiæ notitiam hic præter- „ mittere non debes.

„ M. In Hispania Alphonfus dictus Castus nono „ sæculo annos XLIII. vel, ut alii volunt, XLIV. „ regnavit. Is ille est Alphonfus, cujus eximias do- „ tes in Historia superioris sæculi perstrinximus, „ quod anno septingentesimo octogesimo tertio „ Hispaniarum Regnum esset adeptus. Fuit Al- „ phonfus Castus religiosissimus Princeps, bellica „ gloria, & pacis artibus celeberrimus, qui insignem „ victoriam de Abderhamano Saracenorum „ Cordubensium Rege, S. Jacobo Auspice, repor- „ tavit, cujus felicem exitum ex Tulesi fufe nar- „ rat Baronius. Paulo antequam moreretur Alphon- „ sus Castus, in Procerum Conventu, Ramirum „ filium Veremundi Regis suum Regni Successorem „ designavit. Ramirus post obitum Alphonfi Casti, „ Hispaniarum Regno potitus, conferto cum Sara- „ cenis prælio, sexaginta, vel, ut alii dicunt, „ septuaginta eorum millia internecione delevit, „ an. DCCXCVI. Hanc celebrem de Saracenis re- „ portatam victoriam, Hispani acceptam referunt „ S. Jacobo Apostolo, & præcipuo Hispaniarum „ Patrono, qui in Acie perspicue visus est, equo „ albo insidens, deferensque album vexillum ad- „ versus hostes fortiter dimicare. Normannos etiam „ numerosa classe universam Galliciæ Oram infe- „ stantes, inito prælio devicit Ramirus Rex. Sep- „ tuaginta eorum naves partim captæ, partim „ submersæ in navali pugna. Obiit Ramirus Hi- „ spaniarum Rex an. DCCCL. His temporibus multi „ Christiani a Saracenis, Cordubæ pro Fide occisi, „ martyrii palmam consecuti sunt, quorum marty- „ rium Sanctus Eulogius Archiepiscopus Toletanus „ electus tribus libris celebravit. Mortuo Ramiro „ Hispaniarum Regi Ordonius ejus filius successit, „ & Regium insigne animumque suscepit. Princeps „ fuit miti ac tractabili ingenio, suavissimis mo- „ ribus, æquique tenax. Bellum contra Saracenos „ feliciter gessit. Civitates plurimas ab eis dirutas „ instauravit. Vita functus est Ordonius Hispania- „ rum Rex anno DCCCLVI. cum regnasset XVI. „ annis, ut diserte asserit Alphonfus Magnus il- „ lius filius in suo Chronico his verbis: Supra- „ factus Rex, idest, Ordonius, post XVI. annos „ completos morbo podagrico correptus, Oveto est „ defunctus, & in Basilica S. Mariæ cum prio- „ ribus Regibus est tumulatus. Unde sequitur falli „ Baronium, dum scribit, Ordonium Hispaniarum „ Regem annos dumtaxat XII. regnasse, eumque „ anno DCCCLXII. vivere desisse. Ordonium in Hi- „ spaniarum Regni administratione excepit Al- „ phonfus hujus nominis III. ejus filius, & ob „ egregias corporis, animique dotes, atque præ- „ claros de Mauris reportatos triumphos, Magni „ cognomen consecutus. Sampirus Asturicensis E- „ piscopus, cujus Historiam Sandovallius publi- „ cavit, narrat, Alphonsum Magnum Hispania- „ rum Regem post varias victorias de Sarace- „ nis relatas, duos Presbyteros Romam ad Jo- „ annem VIII. Pontificem Maximum anno „ DCCCLXXXII. misisse, qui ab eo peterent, ut Ecclesia „ B. Jacobi Apostoli consecraretur, & celebraretur „ Con-

Concilium. Epistola Joannis VIII. ad Alphonsum Regem est cccix. in Registro Epistolarum Joannis VIII. qui ei concedit, ut Ovetensis Ecclesia Gallaciæ Metropolitana efficiatur. Ea vero Epistola, qua Summus ille Pontifex annuit, ut Ecclesia Sancti Jacobi consecreretur, est ordine cccx. Has Joannis Octavi Papæ literas, ubi accepisset Alphonfus Rex, venit cum uxore sua, & filiis, ac Episcopis, & totius Regni comitibus, consecrataque Ecclesia, coegit Synodum, in qua Ovetensis Urbis Metropolis declarata fuit, actumque insuper de restituendis Sedibus à Saracenis depopulatis, & de Episcopis, qui eis præfici debebant. Hujus Synodi Ovetensis Acta, quæ nunquam hætenus fuerant edita, publicavit Eminentiss. Card. de Aguirre, eaque inseruit Tom. 3. Conciliorum Hispaniæ (a). Regnavit Alphonfus Magnus in Hispania ab anno 866. usque ad an. 910. quo sponte Regnum abdicavit, illudque Garfia filio suo, qui tamen nihil non moliebatur, ut illum e Regno deiceret, raro sane exemplo tradidit, victus tot tumultuum in Regno ab eo excitatorum tædio, & anno sequenti abiit e vivis. Sed de Statu Ecclesiæ sub Hispaniarum Regibus, qui Hispaniarum Regnum nono sæculo potiti sunt, hæc pauca deslorasse sufficiat.

„ (a) Ovetense Concilium vulgavit quidem Sandovallius, sed simul illigavit an. 877. quod & Pagius admittit, & re discussa recognoscit. Ad statum quod attinet Ecclesiæ sub Regibus, qui nono sæculo Angliæ Regnum administrarunt, breviter dicam, res Ecclesiæ eo in Regno optimo loco fuisse ob pietatem Regum, qui ei præfuerunt. Egbertus siquidem abnepos Inæ Occidentalium Saxonum in Anglia Regis, qui octavo sæculo Regnum suum Romano Pontifici vestigale fecit (quod Sancti Petri denarium vocant) West-Saxiæ Regnum adeptus, anno æræ Christianæ octingentesimo, Bernulphum Merciorum Regem, & Bahredum Cantiorum Regem debellavit, eorumque Regna, necnon & Northumbriam adjunxit Regno West-Saxiæ, ita ut in unam Monarchiam tot Britannæ Regna inter se olim omnino divisa, tum temporis coaluerint. Egbertus Angliæ Rex, post fusam ingentem Danorum multitudinem irruptionibus Angliam infestantium, obiit anno dcccxxxviii. filiumque suum Ethelwulphum Regni reliquit hæredem, qui compositis Regni sui rebus, Romam, Religionis ergo, sese contulit, & a Leone IV. Summo Pontifice humanissime exceptus, Ecclesiæ Romanæ eam Insulæ partem, quam Egbertus pater ad Regnum adjunxerat, vestigalem fecit (a), & postquam per viginti annos Angliæ Regnum sapienter administrasset, pie decessit an. 857. Quatuor superstites reliquit filios Ethelbaldum, Ethelbertum, Ethelredum, & Alfredum, qui postremus, licet ætate minor esset, animi tamen & constantia, & pietate suis fratribus, qui ante ipsum in Anglia regnarunt, se prodidit majorem. Is quippe a patre suo Ethelwulpho Romam missus, & a Leone IV. Pontifice Maximo Rex inauguratus, Regnum Angliæ adiit anno dcccxxxii. sed

Danorum, qui ferro flammaque omnia in Anglia sus deque miscabant, incursionibus vexatus, ad extremas angustias redactus est, & in Insulam *Adelingiam* pius Princeps sese recipere coactus est, ibique permansit, donec, congregatis undequaque auxiliis, Danos conferto prælio strenue aggressus est, eosque, divino nutu victoria potitus, incredibili cæde prostravit, Regnumque suum, a quo exulabat, recuperavit universum. Qui ex illa ingenti clade residui fuerunt Dani, datis obsidibus, Christo se nomen daturus polliciti, Victoris animum misericordie permoverunt. Godrus, seu Gormundus Danorum Rex cum triginta proceribus, & populi maxima multitudine, susceptus est e sacro Fonte ab Alfredo Angliæ Rege, qui ei dedit Provincias Orientalium Anglorum, & Northanymbrorum, ut eas sub fidelitate Regis foveret jure hereditario, quas pervaserat latrocinio, sicut ait *Willelmus Malmesburienensis* lib. 2. de Gestis Regum Anglorum cap. 4. Restitutus in Regnum suum Alfredus votum, cui sese obstrinxerat priusquam victoria potiretur, solvit, & Andeligionam Arcem in Cænobium Monachorum commutavit, ut fusc narrat *Afferus Schireburgensis Episcopus* in libro de *Alfredi rebus gestis* pag. 18. Leges Sanctissimas condidit ac promulgavit Alfredus Rex, totusque pietatis, & litteris deditus, ita tempus omne suum dividebat, ut ex horis viginti quatuor, quibus dies naturalis constat, octo in Oratione, Lectione, & Scriptione; octo in cura corporis necessaria; octo in expediendis Regni negotiis consumeret. *Missam quotidie audire, Psalmos quosdam, & Orationes, & Horas diurnas, & nocturnas celebrare, & Ecclesiis nocturno tempore orandi causa clam a suis adire solebat & frequentabat*, teste mox laudato *Affero*, apud quem de pietate & doctrina Alfredi Anglorum Regis, de ejus in Ecclesiis & pauperes liberalitate, atque de cæteris, quibus exornatus fuit, eximiis dotibus, plura legi possunt. Obiit religiosissimus iste Anglorum Rex anno Christi nongentesimo, Regni sui tricésimo, eoque mortuo, *Eduardus* ejus filius Angliæ Regnum obtinuit, quod quanta modestia, quanta justitiæ laude gubernaverit, ostendam in colloquio primo in Historiam decimi Ecclesiæ sæculi. Hic tantum velim obiter observes, quantum in Religione, & in Sedem Apostolicam observantia antiqui Angli distent a modernis, qui variis (proh dolor!) erroribus seducti, ab avita Majorum suorum Religione recesserunt, tamque insensu odio Ecclesiam Romanam prosequuntur, ut modo omnibus promiscue sectis suos cœtus ac peculiare Ecclesiæ impune habendi in suo Regno potestatem ultro permittant, solis vero Catholicis cœtus & Ecclesias habere districte inhibeant.

„ (a) Vestigal ab Angliæ Regibus ex donatione Ethelwulfi pendendum Ecclesiæ Romanæ non petebatur tantummodo ex provinciis a patre ejus regno adjectis, sed ex toto Angliæ regno quod possidebat. Ita sentiunt auctores, fere omnes rerum Anglicanarum, teste *Spelmano*, qui in nota ad diploma Ethelwulfi ita

„ mo-

„ monet: donationis beneficium porrigunt auctores ad totam Angliam.

D. Statum Ecclesiæ sub Principibus Christianis, qui nono sæculo tam in Oriente, quam in Occidente, rerum potiti sunt, plane perspectum habeo. At nunc scire velim, an Christiana Religio sæculo nono apud barbaras & infideles nationes fuerit propagata?

M. Complures Nationes barbaræ & infideles nono Ecclesiæ sæculo Fidei Christianæ lumine fuerunt illustratæ. In primis, *Carolus Magnus* Imperator ad promovendam *Nordalbingorum* conversionem misit *Heridacum* Presbyterum, & post *Heridacum*, ad tentandam eorundem populorum conversionem, a *Paschali* Pontifice Maximo, & a *Ludovico Pio* Imperatore missus est *Ebbo* Archiepiscopus Remensis. Verum, quod *Carolus Magnus* per *Heridacum*, nullo fructu, quod *Paschalis* Summus Pontifex, & *Ludovicus Pius* Imperator per *Ebbonem* Archiepiscopum Remensem, adjutore *Hadligario*, parvis initiis apud *Nordalbingos* tentaverant, gentium videlicet *Septentrionalium* conversionem; feliciter tandem perfecit *Anscharius* Monachus, qui sub finem anni dcccxxvi. in Danorum Regionem a *Ludovico Pio* Imperatore, Evangelii prædicandi causa missus, dein, post biennium apud Suecos anno dimidio commoratus, postea, curante eodem *Ludovico* Imperatore, *Hammaburgi*, seu *Nordalbingorum*, populorum, videlicet, trans *Albim* incolentium, Archiepiscopus creatus est anno 832. Insuper, a *Gregorio IV.* Summo Pontifice *Anscharius* constitutus est Legatus in omnibus circumquaque gentibus *Sueonum*, idest, Suecorum, Danorum, necnon etiam *Sclavonorum*, vel in cæteris ubicumque illis in partibus constituitis, divina pietas ostium aperuerit, sicut in ejusdem *Gregorii* Papæ litteris legitur. In conversionem *Septentrionalium* Regionum *S. Anscharius* annos fere octo & triginta insumpsit, eamque sæpius ab aliis tentatam, ad optatum exitum perduxit, ut testatur *Adamus Bremensis* lib. 1. cap. 16. his verbis: *O mira Omnipotentis Dei providentia de vocatione gentium, quam disponit artifex, ut vult, & quando vult, & per quem vult! Ecce quod longo prius tempore Willebrordum, & Ebbonem, aliosque voluisse legimus, nec potuisse; tum Anscharium nostrum & voluisse & perfecisse, miramur. Et in fine Historiæ suæ: Hæc sunt, inquit, quæ de natura Septentrionalium Regionum comperimus ad honorem Sanctæ Hammaburgensis Ecclesiæ proponenda, quam tanto munere divine pietatis præditam videmus, ut innumerabilem populorum multitudinem, quorum hæc Metropolis facta est, labore sue predicationis ex magna jam parte conversos habeat ad Christianitatem, ibi solummodo ponens evangelizandi silentium, ubi Mundus habet terminum: quæ salutaris gentium legatio primum ab *Ansgario* incepta, prosperis semper usque in hodiernum diem aucta est incrementis. Præter Danos, & Sveones, idest, Suecos, Sanctus Anscharius ad Fidem Christianam adduxit Frisios Orientales cis *Todam* fluvium incolentes in pagis *Ruistri*, *Absterga*, seu *Osterga*,*

Nordendi, ac *Wanga*, ut legitur in Vita ejusdem Sancti Anscharii Archiepiscopi Hammaburgensis, & Bremensis Septentrionalium Regionum Apostoli, quam a Sancto *Remberto* ejus discipulo descriptam referunt *Mabillonius* parte II. sæculi IV. *Benedictini*, quod est Ecclesiæ nonum, & *Bollandus* ad diem 11. mensis Februarii, qua colitur *S. Anscharius*.

Eodem sæculo nono, hoc est, anno dcccxxi. *Bogoris* Bulgarorum Rex, hortante sorore sua, quæ bello capta, Christianam Fidem susceperat, cum suis populis baptizatus est, & *Michaelis* nomine a *Michaele* tum temporis Orientis Imperatore donatus est. Post aliquot vero annos rebus Ecclesiæ optime in Regno suo constitutis, divina inspiratione commotus, ut ait *Annalista Metensis*, Regnum terrenum dimisit (*Bogoris* Bulgarorum Rex) ut in Cælis æternaliter regnaret cum Christo, & ordinato in loco suo in Regem majori filio suo, commam capitis deposuit, habituque sanctæ conversationis suscepto, Monachus effectus est. *Eleemosynis, vigiliis, orationibus die noctuque intentus. Interea filius ejus, quem Regem constituerat, longe a paterna intentione & operatione recedens, prædas cepit agere, ebrietatibus, comestationibus, & libidinibus vacare, & omni conamine ad gentilitatis ritum populum noviter baptizatum revocare. Quod cum Pater audisset, nimio zelo accensus, sacrum habitum deposuit, & cultu Regio indutus, associatis sibi Deum timentibus, filium persecutus est, quem mox absque difficultate cepit, oculosque ejus effodit, & in carcerem misit. Deinde, convocato omni Regno suo, filium juniorem constituit, interminatus coram omnibus similia fore passurum, si in aliquo a recta Christianitate deviare. His ita gestis, deposito cingulo, & resumpto sacre Religionis habitu, ad Monasterium regressus, in sancta conversatione reliquum vite presentis tempus duxit. Hoc præclaro *Bogoris* Bulgarorum Regis exemplo excitatus *Ravilanus* Moraviæ Princeps, abjectis Idolis, Christianam Fidem cum populo suo anno dcccxxvi. Imperante in Oriente *Michaele*, amplexus est, ad quam conversionem haud parum contulerunt *Methodius*, ejusque frater *Cyrillus*, ut videre est in eorum Vita ab Auctore Anonymo descripta, & ab *Henschenio* ad diem IX. mensis Martii recitata. Sed tempus est ut præsentis Colloquio finem imponamus, aliud postredie habituri de Serie Episcoporum, qui nono Ecclesiæ sæculo Sedes Romanam, & Constantinopolitanam tenuerunt.*

COLLOQUIUM II.

In quo textitur Series Episcoporum, qui nono Ecclesiæ sæculo Sedes Romanam, & Constantinopolitanam tenuerunt.

D. Eonem hujus nominis Tertium sub finem Octavi Ecclesiæ sæculi *Hadriano I.* Romano Pontifici successisse, memini te obiter observasse in Colloquio secundo in Historiam præcedentis sæculi. Sed quot annos federit *Leo III.* & quæ in suo Pontificatu laude ac commendatione digna gesserit, impræsentiarum narrare & breviter exponere debes.

M. Mor.